

denique si minis annis, immoderata tamen venere senile! Senex ergo fuit Salomon anno quinquagesimo, cum tam se in illam veneris intemperantiam effuderit.

Alterum, quod huic cogitationi non parum incommodat, est, quod ex ea efficitur undecimo Salomonis anno generatum esse Roboam, et eodem natum esse tempore, quo ille primum regnum obtinuit: imò uno prius anno, quod ex eo liquet, quia cum Roboam regnum suscepit, quod reliquit Salomon regno ac vita defunctus, quadragesimum primum agebat annum c. 14, v. 21: *Quadragesima, et unius anni erat Roboam cum regnare coepisset.* Quare cum quadragesima annis regnaret Salomon, ut vidimus, consequens est, ut undecim tantum fuerit Roboam Salomon minor; sed fuit uno ferme anno ante conceptus; conceptus igitur à parente, qui non esset decimum ætatis annum supergressus: hoc autem non fert humanæ naturæ adhuc tenera et infirma facultas. Gravis sanè ratio, et quæ apud omnes ponderis debet habere plurimum. Sed illi, ut cum aliâ objectione proximè fecimus, sua quoque adhibenda responsio. Vidit hoc Hieronymus Ep. 131 ad Vitalem, neque ita putat difficile, sicut apparet Lyra, qui ad hanc sententiam multò quàm alii durior est. Ait enim ab undeni, sive duodeni Achaz generatum Ezechiam. Nam, ut constat ex lib. 4 Regum cap. 16, et 2 Paralip. cap. 18, viginti annorum erat cum regnare coepisset, et sedecim annis regnavit in Jerusalem; quare annos tantum vixit triginta rex. Cum autem decessit, viginti quinque annorum erat Ezechias filius lib. 4 Regum cap. 18, 2 Paralip. cap. 29. Quocirca pater Achaz undecim tantum annis Ezechia major. Ex undecim detrahe adhuc novem menses, nam nono antea mense conceptus fuerat, et invenies decimo parentis anno conceptum Ezechiam. Deinde alterum adduxit exemplum non dissimile, quod interposita iurisdictioni religione se audisse confirmat. *Audivi, inquit, Domino teste, non mentior, quædam muliercula, cum expositum nutriet infantem, et instillaret cibos, et nutriceis officio fungeretur, cubaretque cum ea parvulus, qui usque ad decimum jam pervenerat annum, accidit, ut plusquam pudicitia patitur, se mero ingurgitaret, accensaque libidine obscœnis motibus ad coitum duceret infantem. Prima ebrietas et noctis aterius, et cæterarum deinceps fecit consuetudinem. Necdum duo menses fuerant evoluti, et ecce*

feminae uterus intumuit. Quid plura? dispensatione Dei factum est, ut quæ contra naturam simplicitate parvuli, in contemptu Dei abutebatur, à naturæ Domino proderetur, impleto sermone, quo dicitur: *Nihil occultum, quod non reveletur.* Simulque consideremus quòd occultè Scriptura Salomonem et Achaz voluptatis et impietatis accuset. Hæc Hieronymus. Aliud exemplum huic quàm simillimum accidisse audio nostris temporibus, in Hispaniâ, ubi nutrix eodem modo concepit dicitur à puero quodam nobili, qui decimum annum nondum excesserat. Hæc Hieronymi opinionem faciunt non improbabilem: neque desunt alia exempla, à quibus accipit hæc communior sententia non parum momenti.

Nihilominus illa mihi sententia potior est designatum esse atque unctum Salomonem regem anno vigesimo, aut non procul à vigesimo, quod putant Abulensis et Lyra supra, et Pineda noster in suo Salomone prævio lib. 8, c. 2. Quod probat aut certè indicat David, cum c. 2, v. 6 et 9, Salomonem sapientem appellat, cujus documentum in ætate duodeni non dedisset. Deinde quia Salomon genitus videtur à David cum adhuc esset ætate robusta, anno, puta quinquagesimo postquam regnare coepit in Hebron. Postquam enim natus est Salomon, multa contigerunt, quæ non videntur minori spatio transigi potuisse. Certè quæ ante Salomonis ortum ab inito Davidis regno contigerunt, non plus videntur exegisse tempus, quàm quæ ab ortu Salomonis ad Davidis interitum sacra narrat historia. Adde quòd ea constantia quâ Adoniam primum, deinde Joab et Semei jussit interimi, non est ejus ætatis, quæ non longè undecim annorum spiritum et ardorem excesserit.

Atqui dices: Salomon seipsum v. 7, puerum appellat parvulum, qui ingressum suum et exitum ignorat, et idem dixit illius pater lib. 1 Paralip. cap. 22, v. 5: *Salomon filius meus puer parvulus est, et delicatus.* Idem ego quærerem de Davide, qui cum jam ultra trigesimum annum esset progressus, dixit tamen lib. 2 Reg. cap. 5, v. 39: *Ego autem delicatus et unctus rex.* Ut ergo delicatum se eo temporis articulo vocat David, in quo nunquam fuit robustior, nunquam ad arma tractanda, et ad perferendas belli molestias magis idoneus, quia non satis tunc habebat virium, utpote novus rex, ut populum adhuc alienum sub jugum mitteret, et hostilem sustineret impetum, ut eo loco

diximus, si hoc loco Salomon se parvulum et puerum appellat, et eodem penè modo vocatur à patre, quia licet jam adulta esset ætate, et cui paululum accessisset roboris, non tamen sic erat institutus, aut in re moderandâ publicâ versatus, ut in eo genere potuerit appellari vir; opus enim illud experientiam desiderat et usum, qualis in vicenariæ ætate non reperitur. Quod ipse expressit Salomon, cum dixit: *Ignorans ingressum et introitum meum,* quo dicendi modo omnium rerum se inexpertem et ignarum vocat. Suspicio autem in his locis et similibus dicendi modis, subaudiendam esse similitudinis formam, quod in Hebræorum idiomate frequentissimum est. Sic explicò illud quod de ipso affirmavit David lib. 2, c. 3: *Ego autem delicatus, et unctus rex,* id est: Ego nunc sum constitutus rex, qui tamen tam sum infirmus contra tot hostes, quasi delicatus forem, insuetus bello et laboris impatiens, et Salomon de se: *Ego sum puer parvulus, et ignorans egressum, et introitum meum.* Ego comparatione tantæ molis, quæ prudentiam constantiamque desiderat, sum instar pueri parvuli, qui rerum omnium imperitus est. Idem videtur sensus verborum Davidis de Salomone 1 Paralip. c. 22, quem comparatione domus, quam illi ædificandam tradidit, instar pueri parvuli esse judicat. Hæc mihi posterior sententia veri videtur similior; neque tamen priorem improbabilem judico.

ACCEPTIT NAMQUE FILIAM EJUS (Pharaonis), ET ADDUXIT IN CIVITATEM DAVID, DONEC COMPLERET ÆDIFICANS DOMUM DOMINI, etc. Juxta posteriorem sententiam, quam magis putabamus verisimilem, difficile non est existimare vivente adhuc patre duxisse Salomonem Ægyptiam uxorem, cum non longè ab anno vigesimo designatus fuerit, et appellatus rex, quæ ætas satis erat matura conjugio; sed de hæc re nihil est certum. Illud minis dubium, sub annum regni primum duxisse uxorem Naaman Amanitidem, ex qua suscepit Roboam; alioqui quando Salomoni parenti successit, non esset annorum quadragesima unius. Quare verum existimo quod Hebræi docent, in *Seder olam* cap. 16, uno anno antequàm à vivis excederet David, natum fuisse Roboam: uxorem ergo Ægyptiam quocumque illam tempore ad regium thalamum asciverit, in civitatem Davidis induxit, donec ædificato templo, regiam uxori domum ædificavit, quam illi propriam esse voluit, de qua c. 7, v. 8, pluribus. Ædificasse etiam dicitur civitatis murum, quod repetit c. 9, v. 15. de

quo Josephus lib. 8, c. 2: *Cæterum, inquit, rex, cum videret moenia Jerosolymorum turribus et propugnaculis ad securitatem egere, nec ea dignitati urbis satis respondere, et muros instauravit, et turres magnas in eis crexit.* Neque novum est, ut quod ab aliquo instauratum est, aut amplificatum, et in meliorem formam redactum, id ab eodem dicatur esse constructum. De quo nos plura in nostris commentariis in Daniele ad illud c. 4, v. 27: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domo regni?* Quod enim ante Salomonem cincta fuerit mœnibus Jerosolyma à parente Davide, habemus lib. 2 Reg. c. 5, v. 9, et 1 Paralip. cap. 15, v. 7.

VERS. 2. — ATTAMEN POPULUS IMMOLABAT IN EXCELSIS: NON ENIM ÆDIFICATUM ERAT TEMPLUM (1).

(1) Non satis constat, quò referatur hæc particula, *attamen.* Reddi posset Hebræus: *Cæterum populus immolabat tunc in excelsis, quia non ædificata erat domus Domini.* Nulla religio ab his sacrificiis animos absterrebat, uti alibi à nobis demonstratum est. Prophetæ, reges Salomone priores, iudices Israelis et ipse pater Salomon, cum populo universo, sacris operabantur Domino in editis locis totius regionis, ut Gabaone, Galgalis, Silo, Gabaâ, Hebrone, Cariathiarim. Neque id reprehendit unquam Scriptura, et quæ in versiculo proximè sequenti leguntur: *Salomon ambulabat in præceptis David patris sui, excepto quòd in excelsis immolabat,* reddi possunt juxta Hebræum, ut in præsentis versiculo: *Cæterum in excelsis immolabat.* Atque ita tam longè abest, ut hæc credantur exceptio quædam virtuti ac pietati tanti viri contraria, ut potius magis magisque commendent ejus studium in cultum Domini; vel saltem animadversio sunt historica moris tunc, ante ædificatum templum, obtinentis, quæ scilicet animadversio res nec probatur, nec damnatur ut mala.

Sed commentariorum scriptores plerique docent, hic innui à Scripturâ, Salomonis et populi in Deum religionem vitii aliquid retulisse, neque cultum impendisse illos purum absolutumque, cum sacrificia in editis locis adhuc offerrentur. Erratum hoc suum tunc primum rex intellexit, cum spiritu scientiæ et sapientiæ afflatus est; eo enim indicante, agnovit necessitatem præcipientem occasionem habere populo, templo Domini condito. Scitum est, Scripturam cavere, ne sacrificia extra tabernaculum offerantur, et in totâ serie historiæ Judæicæ ex eo potissimum distingui reges fideles et divini obsequii studiosos à cæteris principibus, quorum erat inferior pietas; ex eo, inquam, distingui, quòd illi aras in collibus destruerent, hi verò tolerarent, quin et sacrificiis complerent.

Sed duplici ratione respondemus: 1º Lex vetans alibi offerri sacrificia præterquam in tabernaculo, accipienda est pro tempore; quòd fixa erat ac certa sedes tabernaculo; consuetisque rerum eventibus; non verò si novum quid et insolitum contingeret, neque de tem-

Causam reddit cur Salomon prius templum, quam domum suam ædificare voluerit, quia cum nullus esset certus locus sacrificiali negotio destinatus, populus sibi variis in locis

pore, quo tabernaculum vagabatur, modo hic, modo alibi subsidens; 2^o Scriptura cultum illum Domini in editis locis non damnat, nisi post templi ædificationem; tunc enim cautiones omnes cessabant pro iis qui sacrificia et oblationes daturi eò proficiscebantur.

(Calmet.)

Excelsa Hebræorum, de quibus in libris Regum et prophetarum crebra est mentio, erant duplicis generis. Una in quibus instar gentium colebant earum deos et idola. Hæc manifestè erant illicita, quia idolis dicata in Dei veri injuriam. Unde in eà gravissimè invehuntur et detonant prophetae, ut Jerem. cap. 7, 31; Ezechiel cap. 6, 3; Osee 10, 8. Hinc Salomon gravissimè peccavit, quod in gratiam uxorum suarum gentilium earum diis et idolis fecerit lucos et excelsa, ibique eos adoravit, quæ proinde Ezechias rex dissipavit, Manasses ejus filius impius restituit, Josias funditus abolevit.

Alterà excelsa erant, in quibus Hebræi, non idolis, sed Deo vero sacrificabant. Sic Gedeon in excelsa petrâ sacrificium Deo obtulit, Judic. 6, 26. Idem fecit Samuel in excelsa, 1 Reg. 9, 49, et Salomon hic sacrificavit in excelsa Gabaon, id est, in tabernaculo Moysis, quod tum situm erat in excelsa et frondoso colle Gabaon.

Porrò Deus hæc secunda excelsa non amabat, ob periculum gentilismi et idololatriæ; tolerabat tamen, donec ædificaretur fixum et stabile templum à Salomone in Jerusalem; nam ante illud tabernaculum Moysis erat mobile, et ab uno loco transportabatur in alium, imò separatum erat ab altari, ut superius dixi. Unde multis incommodum erat et difficile in eo sacrificare, ideòque alio loco excelsa suas hostias immolabant.

Hinc pii reges, ut Asa et Josaphat, permiserunt excelsa Deo vero erecta, vel si illa erant idolis statuta, permiserunt ea, quia ob inveteratam populi idololatrantis consuetudinem, metuentes ejus seditionem et rebellionem, illa impedire et tollere non potuerunt. Verius tamen est, quod censet Abulensis, quæst. 2 et 5, hos reges tantum permisisse excelsa, in quibus Deo vero sacrificabatur, non idolis; quæ tamen non permiserunt reges sapientiores, sed everterunt, scilicet David, Ezechias et Josias, qui proinde soli è cæteris regibus Juda dicuntur non peccasse, Eccles. 49, 5. Porrò quod Samuel in Ramathâ, Bethlehem, aliisque in locis sacrificavit, 1 Reg. cap. 16, vers. 4 et 5, ac Elias in monte Carmelo, 3 Reg. 18, 25, et David in arca Ornan, 2 Reg. ult. 18, credendum est id eos fecisse ob graves et urgentes causas, idque ex Dei instinctu et dispensatione, ut patet de Davide loco citato.

Hæc de causâ, ut scilicet excelsa omnia tollerentur, voluit Deus à Salomone ædificari templum, in eoque solo sibi sacrificari ut in uno templo servaretur unitas religionis et Judæismi, ac Judæi planè arcerentur à profanis et excelsis sacrificiis gentilium. Idem ante

excitabat altaria, quæ nunc appellantur excelsa, et ibi rebus operabatur sacris interim dum templum haberet, parum fortassè piè, imò, ut opinor, impiè, nisi illos invincibilis error venedicaret à culpâ. Nam licet templum non esset, erat tamen tabernaculum Dei, quod translatum primum est à Silo in Nobè, ut constat 1 Reg. 21, et inde in Gabaon, ubi etiam erat altare à Moyse constructum, ut habes 1 Paral. c. 21, v. 29: *Tabernaculum autem Domini quod fecerat Moyses in deserto, et altare holocaustorum eà tempestate erat in excelsa Gabaon*, et 2 Paral. c. 1, v. 5. Deinde in civitate David, licet non esset tabernaculum, quod compegerat Moyses, erat tamen aliud à Davide constructum, et in eo area, ubi legitime ac piè possent immolari à populo sacrificia. In eo errore fuisse quoque Salomonem, opinor, antequàm à Deo cœlitus hausisset sapientiam, quia ipse quoque sacrificasse dicitur in excelsis, de quo mox. Ut igitur Salomon hanc à populo offensionem removeret, quam postea cum à Domino sapientiam accepisset, agnovit, ædificare templum voluit, antequàm domum sibi atque uxori construeret.

VERS. 3.—DILEXIT AUTEM SALOMON DOMINUM, AMBULANS IN PRÆCEPTIS DAVID PATRIS SUI, EXCEPTO QUOD IN EXCELSIS IMMOLABAT, ET ACCENDEBAT THYMIAMA (1). Licet, *diligere*, motum significet voluntatis, quæ in rem amatam lubens acquiescit, et illi benè cupit, tamen sæpissimè in Scripturis sumitur pro officiis aut operibus, quæ ab amore nascuntur. Sic puto Magdalenæ multa (Luc. c. 7) peccata dicuntur dimissa, quia dilexit multum, id est, quia multa præstitit officia, seu obsequia, quibus divinam in se

templum jusserat Deus fieri in tabernaculo à Moyse fabricato, Levit. 17, vers. 3 et 4. (Corn. à Lap.)

(1) Comme, selon les saints Pères, Salomon était, dans tous ces commencements, une figure excellente de Jésus-Christ, cette liberté qu'il se donnait de sacrifier en différents lieux à la majesté de Dieu, marquait par avance ce qui devait arriver sous le règne du vrai Salomon, et ce que le Fils de Dieu lui-même déclara depuis à la femme de Samarie, en lui disant: *Que le temps venait auquel on n'adorerait plus le Père ni sur la montagne de Samarie, ni dans la ville de Jérusalem, c'est-à-dire que l'adoration du Seigneur ne serait plus attachée à un lieu particulier, comme elle l'était au temps de la loi, où le peuple d'Israël, si porté à l'idolâtrie, avait besoin de ce frein pour être retenu dans le culte unique du vrai Dieu; mais que l'on adorerait partout le Père éternel, parce qu'on l'adorerait en esprit et en vérité* (Sacy.)

misericordiam inflexit, quæ amoris aut faces sunt, aut signa. Sic ἀγάπη, quæ charitatem valet aut anorem, pro munere capitur, quod alteri damus, cui benè cupimus, aut ejus miseriam levare studemus, sicut etiam charitas appellatur donum, sive inopi, sive amico datum. Unde tritum: *Fac mecum charitatem*, et similia. Sanè Augustinus contra Faustum lib. 10, c. 10: « Agapæ nostræ pauperes pascunt, sine frugibus, sine carnibus. » Hieronymus ad Eustochium de Custod. Virgin.: « Cum manum egenti porrexerint, buccinant: cum ad agapem vocaverint, præco conducitur. » Sic Salomon Deum dilexisse dici potuit, non solum, quia propriè Deum ex animo amavit, sed quia illum coluit offerendis victimis, et aliis piis religionis officiis, quæ in divinum obsequium lex aut benè instituta natura præscribit. Sic enim ambulavit Salomon, quemadmodum fuerat à parente præscriptum. His autem, quæ David Salomoni observanda præcepit, etiam fuerant quædam externa religionis opera. Quæ etiam appellari potuere charitas, aut dilectio, quia hæc plerumque solent, aut certè debent à charitate proficisci, licet de interno etiam charitatis affectu hæc intelligi possint. De his præceptis, quæ jam rex morti proximus tradidit Salomoni filio, habes lib. 1 Paral. c. 18, v. 9.

EXCEPTO QUOD IN EXCELSIS IMMOLABAT, ET ACCENDEBAT THYMIAMA. Non possum, ut maximè cupiam, Salomonem à culpâ liberare, cum immolasse dicitur in excelsis, et accendisse thymiama. Nam primum sacrificasse extra legitimum locum, nempe extra tabernaculum aut templum, aut non ad arcæ conspectum, à quo tabernaculo, aut templo magna fiebat religionis accessio, sine speciali Dei dispensatione ac pulsu (quomodò aliquando fecit Samuel, David, Elias, et alii nonnulli, non credo salvâ religione fieri potuisse. Quod probat multis Abulensis contra Lynam et Hebræos hoc cap. q. 2. Putabat autem Lyra ante constructum templum fas esse aliis in locis excitari altaria, et victimas offerri. Probat autem Abulensis, quia ex quo subjecti fuerunt Chananæi, sicut cœperunt leges aliæ Israelitas obligare, sic etiam hæc decreta, ac designato sacrificiorum loco. Unde videmus Josue 21, omnes tribus quæ trajecerunt Jordanem, voluisse pugnare contra duas tribus et dimidiam, quæ citra Jordanem considerunt, quia altare excitârunt extra locum qui ad sacrificia ex communi populi consensione destinatus. Erat autem præceptum Levit. c. 27,

v. 4: *Homo quilibet de domo Israel si occiderit ovem, aut bovem, sive capram in castris, vel extra castra, et non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit. Et Deut. 12, v. 13: Cave ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in eo quem elegerit Dominus in unâ tribuum tuarum offeres hostias, quod populo ante dixerat explicatè magis v. 5. Hoc idem tenet Ribera lib. 1 de Templo c. 2; hæc de re nos plura lib. 1, c. 6, ad illud: *Levitæ autem deposuerunt arcam Dei, et c. 7, ad illud: Ædificavit etiam ibi Domino altare. Ubi diximus aliquando id licuisse, in gravi aliquo casu, et ubi nulla esset sacrificandi commoditas, quod sæpè factum est, dispensante tamen ac inspirante Domino.**

Neque Salomon huic culpæ obtendere potest culpam ignoratæ legis: nam inter alia mandata quæ accepit à parente, hoc etiam fuit, ut ex hoc loco non obscure colligitur; dicitur enim omnia parentis præcepta observasse Salomon, hoc uno excepto, quod immolabat in excelsis. Quasi dicat hoc etiam esse in præceptis à parente mandatum. Ex hoc loco Abulensis colligit q. 2, peccasse Salomonem immolando in excelsis. Hinc Ribera supra optimè conjectat hanc esse causam cur inter reges Juda et Israel tres tantum reges dicantur non peccasse, Eccl. c. 49: *Præter David et Ezechiam, et Josiam, omnes veccatum commiserunt: nam reliquerunt legem Altissimi reges Juda, et contempserunt timorem Dei.* Nam alii omnes, aut immolaverunt in excelsis, aut certè cum possent et deberent, non sustulerunt excelsa. Nam David neque immolavit in excelsis, neque passus est immolare alios, ut ex hoc loco colligitur. Quod extra tabernaculum aut templum immolavit aliquando, id fecit inspirante Deo, quia alibi aut nullo modo poterat, aut quia ipsa rerum dignitas exigebat. Quo modo sacrificavit in Hebron, quia tabernaculum tunc erat in tribu Benjamin, quæ tunc ab adversariis tenebatur. Quo verò tempore sacrificavit in arca Areuna Jebusæi, vellet quidem in Gabaon sacrificare, ubi altare erat et tabernaculum: non potuit tamen, ut habes lib. 1 Paral. cap. 21, v. 30: *Et non prævaluit David ire ad altare, ut ibi obsecraret Deum, nimio enim fuerat timore perterritus.* Quod si in arcæ traductione ad civitatem David in medio cursu sæpè sacrificatum est, id exigebat tanti diei solemnitasque celebritas, neque alieno in loco sacrificatum videbatur, cum adesset arca, quæ sacrum reddebat ac

religiosum locum. De Ezechiâ enim dicitur lib. 4 Reg. cap. 18, v. 3: *Fecitque quod erat bonum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat David pater ejus. Ipse dissipavit excelsa et contrivit statuas, succidit lucos, etc.* Idem de Josiâ habemus lib. 4 Reg. c. 23, v. 8: *Contaminabit excelsa, ubi sacrificabant sacerdotes de Gabaâ usque Bersabee.*

Immolare in excelsis, et accendere thymiamâ, pro quocumque sumitur sacrificiorum genere. Immolare latius patet; complectitur enim libamenta et victimas. Thymiamâ oblatio est illarum rerum quæ gratum ex se odorem exhalant, dum igne cremantur. Hæc impii diis alienis, id est, gentilium simulacris offerebant in excelsis, ad quorum imitationem pii, id est, veræ religionis amatores, minus tamen piè vero Deo in excelsis quoque et lucis immolabant. In excelsis autem non solum montes intelligo, et editum locum, sed etiam altaria, quæ juxta sui notationem nominis aliquid significant altum, sicut vox græca, βῆδος, collem significat et altare, et ideò fortassè Gabaon excelsum dicitur maximum, quia ibi altare fuit maximum, quod nempe à Moysè ex ære fabricatum est, de quo statim.

VERS. 4. — ABIIIT ITAQUE IN GABAON, UT IMMOLARET IBI: ILLUD QUIPPE ERAT EXCELSUM MAXIMUM. Sicut alia excelsa obibat Salomon sacrificii ac religionis ergo, minus tamen religiosè ac piè, quia non aptus erat atque legitimus pietati ac religioni locus; sic etiam obire voluit religiosum locum, et excelsum maximum, quod erat in Gabaon, licet longius à Jerosolymâ distaret. Dicitur autem excelsum maximum, quia, ut nuper dicebamus, ibi religiosissimum erat altare quod fabricavit Moyses simul cum tabernaculo, quod quia maximè erat in honore, maximum etiam existimabatur et vocabatur excelsum. Fuisse autem sub id tempus in Gabaon tabernaculum et altare, constat ex lib. 1 Paralip. cap. 21, v. 19: *Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moyses in deserto, et altare holocaustorum eâ tempestate erat in excelsu Gabaon.*

VERS. 5. — APPARUIT AUTEM DOMINUS SALOMONI PER SOMNIUM NOCTE, DICENS: POSTULA QUOD VIS UT DEM TIBI. Obierat Salomon frequenter excelsa alia, quæ non longè aberant Jerosolymâ, et ibi obtulerat, sicut alii de turbâ, thymiamâ et victimas. Id enim sonat illud: *In excelsis immolabat, et accendebat thymiamâ.* Et quia aliquid erat in illis sacrificiis, quod non admitteret, imò quod improbaret et damnaret

religio, ideò nullum à Deo oraculum, nullam à Deo promissionem accepit. Sed postquam in legitimo loco legitimum obtulit sacrificium, illudque numerosum et lautum, mille videlicet hostiarum in holocaustum; et aliquid in conficiendâ viâ laboris assumpsit (distat enim à Jerosolymâ Gabaon, si Josepho credimus lib. 2 de Bello c. 25, quinquaginta stadiis, id est, sex mille ducentis quinquaginta passibus, sive juxta Brocardum tribus leucis); apparuit illi Deus in quiete, optionemque dedit, ut quod illi magis esset in votis, aut magis ex usu fore existimaret, exposceret: quo nihil videbatur promitti posse, aut offerri prolixius.

Multa hic quæri possent de divinatione per somnium, et quo modo species offerat in quiete, per quas futurarum rerum eventus multò ante portendit, à quibus abstinere posse videor, quia opus est longum, et meo instituto non valdè necessarium. Si quid eâ de re videre studes accuratiùs, adi ex nostrâ societate Christophorum Castrum in prolegomenis ad duodecim prophetas minores; Martinum del Rio in disquisitionibus magicis; Pineda in Salomone prævio lib. 3, cap. 8. Quare ab his prudens absteineo, neque ampliùs dicam, quam quod hic locus exigit ab interprete. Sed priùs adverte hunc locum iterùm explicatiùs tractari lib. 2 Paral. cap. 1, ubi ad superiora additur, convocatos esse à Salomone ad religiosum illud opus, et sacrificium splendidum eos omnes ex universo Israele, quorum in populo illustre nomen et singularis auctoritas. *Præcepitque Salomon universo Israeli, tribunis, et centurionibus, et iudicibus omnis Israel, et principibus familiarum: et abiit cum universâ multitudine in excelsu Gabaon, ubi erat tabernaculum fœderis Dei, quod fecit Moyses famulus in solitudine.* Deinde coram tabernaculo fuisse altare æneum, quod à Moysè fabricatum est, et ibi oblatas hostias à Salomone. Sic enim v. 5: *Altare quoque æneum, quod fabricatus erat Beseleel filius Uri filii Hur, ibi erat coram tabernaculo Domini, quod et requisivit Salomon, et omnis Ecclesia, ascenditque Salomon ad altare æneum, coram tabernaculo fœderis Domini, et obtulit in eo mille hostias.*

Cum igitur sacrificium illud nobile religioso atque legitimo ritu peractum esset, eâ nocte quæ proximè consecuta est, apparuit Dominus Salomoni per somnium, utique dormienti (1);

(1) Verùm contraria sententia non minus est probabilis, imò validiores affert rationes, nimirum somnium hoc non fuisse naturale, sed

quod etiam cum aliis sæpè fecerat, quibus per quietem pollicitus, aut minatus est plurima, aut futura prædixit, aut quod ab illis fieri vellet manifestavit. Sic autem Deus sibi in illo sacri-

divinum, ac propriè à Deo (licet naturâ quoque et naturalibus per diem cogitationibus Salomonis Deo subservientibus) immissum, ideòque non tam fuisse somnium, quam visionem propheticam vel extasin, qualis fuit somnus Adæ, cum ex ejus costâ Deus formavit Evam, quem Septuag. vocant extasin; in eo enim Adam Deo revelante cognovit Christi incarnationem, et Ecclesia ex ejus latere formationem, uti docent S. August., S. Thomas, Rupert. et alii passim. Tale quoque fuit somnium Abrahamæ, Genes. 15, 12, in quo Deus Abrahamæ revelavit, et promisit magnam posteritatem et Chananae possessionem. Tale quoque fuit somnium Josephi de futuro suo principatu in Ægypto. Genes. 37, 5, et Jacobi, Genes. 28, 12, ubi Deus in somnis idem ei promisit quod Abrahamæ, imò plura. Probatur 1º quia hoc disertè significat Script. cum ait: *Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte dicens.* Ergo fuit hæc vera Dei apparitio et locutio, quam Salomon excepit, uti propheta excipiebant Dei oracula per visiones tam nocturnas, quam diurnas; ergo non fuit somnium commune et naturale. 2º Quia sequens prolixa narratio recenset historiam veram, non somniam. Ait enim Deus reverà loquens Salomoni: *Postula quod vis ut dem tibi,* ac Salomon respondet prolixè, postulaturque sapientiam, ac hujus postulationis suæ multas et graves causas affert, idque tam sapienter et prudenter, ut vigilans prudentiùs loqui non potuisset. Ex quâ narratione, et ex longo Salomonis sermone ad Deum constat, ipsum habuisse perfectissimum discursum et iudicium, cum consideratione divinæ majestatis, et beneficiorum ejus, et propriæ infirmitatis ac necessitatis in illo regio statu, in quo erat constitutus, et ex hoc perfecto discursu ac iudicio petitionem illam Deo proposuisse, et ideò illi placuisse. 3º Quia, v. 11, Deus Salomoni præmium hujus suæ postulationis tam sapientis et sanctæ largitur, et votis ejus annuit dicens: *Quia postulasti verbum hoc, etc., ecce feci tibi secundum sermones tuos,* nec tantum hoc, sed et longè plura adjicit, scilicet divitias, gloriam, longævitate et magnificentiam præ omnibus regibus: quæ omnia et reverà, et non per somnium gesta fusè et accuratè narrat Script., ut vix aliò torqueri possint, ac omne somnium superent et transcendant. Et hoc voluit Script. dicens v. 15: *Evigilavit Salomon, et intellexit quòd esset somnium,* scilicet non humanum, sed divinum. 4º Quia reverà Deus in somno hoc Salomoni indidit sapientiam, ut significat Script.; nec enim aliud tempus, quo eam acceperit Salomon, reperire vel assignare possumus; ergo pariter reverà Salomon in somno oravit, petiitque sapientiam; nam per orationem eam impetravit, ut dicitur vers. 11 et 12: *Ecce, inquit, feci secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens.* Ita sentit Lyran., Dionys., Salmeron. tom. 3, tract. 22; Anton., Fernandus lib. de Visionibus. præludio 7. num. 8 et seq.; Hugo, Glossa, Consalvus Cervantes in Sapient. cap. 7, vers. 7, ac fusè et

ficio luculento placuerat, ut illius voluntati ac voto omnia cumulatè concesserit. Hæc sine dubio in votis contigerunt, quæ tamen plus habuerunt firmitatis ac ponderis, quam quæ

solide Suarez tomo 2 de Relig. lib. 2 de Orat., cap. 19, ubi docet primò, Deum in somno posse elevare intellectum et phantasiam ad perfectum usum rationis, et ad plenum iudicium de veritate sive speculativâ sive practicâ, idque fecisse in somno Adami Genes. 2. Posse enim Deum ita confortare et clarificare phantasiam et vapores omnes, qui illam in somno impediunt, depellere, ut verè res non tantum apprehendere, sed et rectè de iis judicare possit, conservatis interim sensibus externis in eadem dispositione, quam in somno naturali habent. Accedit S. Ambros. in Psal. 118. Octonario 18, in fine, ubi asserit Salomonem orasse tunc et promeruisse. Imò Octonario 2, vers. 2, addit: *Ex toto corde exquirens Deum, sapientiam postulavit, et quia non opes sibi regias, sed divine munus gratiæ depoposcit, accipere meruit sapientiæ disciplinam.* Tertull. etiam lib. 4 contra Marcion. cap. 15, aperte sentit habuisse tunc Salomonem liberam electionem, dicens: *Quia permissa sibi optione, maluit ea postulare, quæ sciebat Deo grata, sapientiam, meruit etiam divitias consequi.* Ad eum modum loquitur Eucher. quæst. 2 in 3 libri Reg., dicens Salomonem deprecatum esse Deum, etc. Denique, 2 Paralip. 1, vers. 7, ubi eadem hæc historia narratur, nulla somni fit mentio: *Ecce, inquit, in ipsâ nocte apparuit ei Deus.* Fuit ergo somnium hoc vera Dei apparitio et visio, qualem habuere cæteri prophetae.

In hanc quoque sententiâ tandem propendent S. Bonavent., Allensis et Richardus, locis jam citatis, dum addunt Salomonem ex divino privilegio potuisse in somnis uti ratione et mereri, atque S. Thom. qui, 1-2, q. 115, art. 3, ad 2, secundam dat responsionem, dicens: *Vel potest dici quòd ille somnus non fuit naturalis, sed somnus prophetiæ, secundum quod dicitur Num. 12: Si quis fuerit inter vos propheta Domini, per somnium aut in visione loquar ad eum.* In quo casu aliquis usum liberi arbitrii habet.

Dices: Somnus impedit usum rationis et liberi arbitrii, quia in somno sopiuntur, et quasi ligantur sensus et phantasia, sine quibus ratio non potest liberè operari.—Resp.: Naturaliter et in somno naturali hoc verum est, at non in supernaturali et divino, quale fuit hoc Salomonis. In eo enim Deus prophetis infundere potest species, sine conversione ad phantasmata somnum non impediens, sicut nec visionem in Christo somnus impediens, qui de se ait Cant. 5, 2: *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Sic et B. Virginem dormientem liberè Deum amasse, itaque meruisse, censet S. Bernardus et alii, idque probabile judicat Suarez p. 3, q. 37, art. 4, disp. 18, sect. 2; aut potiùs Deus Adæ, Salomoni et prophetis ita roborabat et clarificabat phantasiam in somnis, ut liberè intelligere, eligere et operari possent, ut paulò ante dixi ex Suarez. Hoc enim magis est homini connaturale.

Mysticè S. Gregor. lib. 2 Moral., cap. 2, notat noctem signum esse mali omnis et info-